



Sammelband 079

Index locorum in hoc volumine
explicatorum

- nr. 29 Pf. LXXXIV.
4. Matth. II. 17. 18.
28 Luc. I. 78.
10 Act. XIII. 32. 33.
20 Epist. V. 23.
18 Gal. I. 34.
11 Col. II. 14. 15.
23 Cor. XIII. 2.
26 1 Petr. III. 18.
38 2 Petr. I. 19.
6 Iud. 9.
38 Apoc. XII. 16.

30 30

PROGRAMMA

QVO

POTIORA DVBIA
A VETERIBVS CHRISTIANI NOMINIS
HOSTIBVS CONTRA VERITATEM
RESVRRECTIONIS REDEMTORIS MOTA
EXAMINANTVR ET
REFELLVNTVR
FESTO PASCHAE
A. R. S. MDCCLVIII
P. P.


HELMSTADII

LITTERIS VID. B. PAVL. DIETER. SCHNORR,
ACAD. TYPOGR.



REGIUM
POTIORA DVBIA
A VETERIBUS CHRISTIANI NOMINIS
HOSTIBUS CONTRA VERITATEM
RESURRECTIONIS INVENTOS MOX
EXAMINATVS ET
REPELLVITV
P. E. T. O. P. A. S. C. H. A. E.
A. M. D. C. C. C. L. I. I. I.
P. E.
H. M. S. T. A. D. T. I. I.
P. R. I. N. T. I. P. I. U. M. I. N. T. I. P. O. N. I. C. O. N. I. A. M. P. R. I. N. T. I. U. M.





ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE
PRORECTOR
CHRISTOPHORVS TIMOTHEVS
SEIDELIVS
CIVIBVS SVIS
S. D. P.



Quanti sit momenti sanctissima illa veritas resurrectionis saluatoris nostri Iesu Christi, docet nos effectum Paulli Apostoli, fidem nostram nullam nec spem salutis mortuorum esse, nisi de Christi resurrectione nobis constet; 1 Cor. XV. 17. 18. Atque huius argumenti ingens pondus ipse Apostolus indicat. Siquidem aeternae morti debebantur omnes, quotquot sunt, mortales, nisi diuinae iustitiae per Christum satisfactum foret. Hanc vero ipsam satisfactionem Deo acceptam fuisse, certo nobis constare nequitiam poterat, nisi eum, qui vniuerso hominum generi debitas poenas in se suscipere voluit, morte sua eas exsuperasse adeoque omnia mortalium delicta hac ipsa morte sua expiasset.

pliasse sciremus. Satisfactio enim post mortem nulla esse potest pro aliis. Ergo, dum inter homines degeret sanctissimus Saluator, et ultimo vitae articulo satisfecit diuinae iustitiae. Hoc est, de quo certos esse nos oportet. Quomodo vero certi de hac veritate esse possimus, si mors eum adhuc detineret? Ergo et a morte ad vitam redire, ergo resurgere debuit.

Quae cum ita sint, adparet nihil nobis magis cordi esse debere, quam ut de hac veritate conuincamur. Cum enim omnis nostra spes in Christi merito reposita sit, fieri nequit ut hanc spem rite foueamus, ut ea subnixi vitae rationes digno Christianis more subducamus, nisi Christum a mortuis resurrexisse vere sciamus. Atque hoc ipsum quidem negotium multorum iam eruditorum laboribus solidissime fuit pertractatum. Nihil tamen praeter rem nos facturos existimamus, argumenta, quibus haec summi momenti veritas optime demonstrari potest, paucis collecturi Vobisque, Carissimi Ciues, ob oculos hoc tempore posituri, quo hominem Christianum ab omni alio studio vacare hanc ipsam ob rem decet, ut, quibus cognitis ad aeternam salutem maxime opus habet, ea mente tota peruoluet. Id enim amor, quo Vos complectimur, suadet imo iubet potius, ut Vobis, quorum felicitati non mundanae solum et transenti, sed aeternae quam maxime studemus et studere debemus, ea in mentem reuocemus, sine quorum notitia nec huius saeculi veram felicitatem comparare nec ad aeternam illam adspirare possunt homines.

Domi-

Domini nostrum Iesum Christum a mortuis resurrexisse, historica veritas est. Historicas veritates comprobaturi de eo maxime sint solliciti, necessum est, ut vel inciorum dubia vel maleulorum cauillationes refutant. Has vero omnes obiectiones, cuiuscumque demum sint generis, ad duas classes referre licet; quibus hoc vno argumento sumus respondi: *si resurrectio Christum, ut verum Deum et humani generis redemptorem, decuit, sique a fide dignis relata est testibus, eam pro certissima veritate agnoscere et habere nos oportet.* Duo sunt argumenti momenta; vtrumque ea ratione comprobare satagemus, ut aduersariorum vel dubia vel sophismata potissima refellamus. Sed cum eousque inualuerit hominum temeritas, ut veritatem resurrectionis Christi multis obtrectationibus euertere conati sint, nimisque longum foret, eas omnes vna opera velle perfequi, eas solas hic attingemus, quae a Veteribus Christiani nominis hostibus sunt excogitatae. Atque harum compilatorem cognominare licet Celsum, epicuraeum illum philosophum, quem Origenes refutauit. Huius igitur obtrectationes directe et potissimum adgre- diemur.

Primo loco in eo erimus occupati, ut resurrectionem Christi Deo dignam fuisse demonstramus ea, quam indicauimus, ratione. Huic veritati multis clamoribus sese opposuerunt obtrectatores. Iactant primo *dignius Christo, si Deus sit, fuisse mortem non oppetere, quam ab ea iterum ad vitam redire.* (*) Verborum

A 3 rum

(*) v. Origenes contra Celsum, L. II.

rum sensus triplex constitui potest. Aut hoc sibi voluit Celsus, eum qui se Deum perhibuerit, mortem dedecere, cum ex morte eius potius planum fiat eum non esse Deum, siquidem Deus mori nequit; aut hoc, si homo Christus morti se subtrahere non potuerit, adparere, vim diuinam ei non inuisse, utpote quae mortem ab eo depulsura fuerit. Priori sensu sumtum argumentum nihil aliud euincet quam auctorem ipsum elenchi ignarum fuisse. Christum enim, qua Deus est, mortem obiisse nemo umquam Christianus dixit, nec dicere fas est. Altero sensu sumtum iterum ignorantiae elenchi conuincet auctorem. Hoc enim dicitans id praemittere debet, docere Scripturam Iesum Christum aeternam atque diuinam naturam suam ideo humanae et fragili conditioni coniunxisse, ut a communi humanae naturae lege, iuxta quam morti dicati sumus, illa eius humana natura eximi posset. Hunc vero scopum diuinum fuisse, nusquam in Scriptura extat, quin potius diuinae rationes, in Scriptura expositae, huic sententiae planissime refragantur. Restat tertius verborum sensus: finem diuinum, cuius gratia redemptor in carnem deuenit, melius sibi fuisse constitutum, si perpetua vita Deum ille se demonstrauerit. Neque tamen et hoc vltimum nisi ab ignorante homine proficisci potest. Subintelligant enim, qui sic rationes subducunt, necesse est, finem Dei, ob quem redemptor humanam naturam adsumsit, vnicum fuisse ut fides in Christum stabiliri posset. Hic vero finis redemptionis, ut verissimus, vnicus tamen dici nequit nisi ab eo qui

qui in scientia oeconomiae fidei plane est hospes. Apertissime siquidem adfirmat scriptura, Dominum nostrum ac Deum Iesum Christum ideo mortalem naturam sibi adsciuisse, ut vita et morte sua pro peccatis hominum satisfaceret, poenasque iis debitas ipse subiret. Itaque retorquendum est potius argumentum; si Christus non foret vere mortuus, redemptio eius Deo digna non fuisset, cum finem redemptionis primum ipse satisfactionem pro hominibus indicauerit; quandoquidem vero mortuus est, et redemptio et mors eius Deo, i. e. sapientiae diuinae dignae fuerunt.

Alterum, quo se iactant aduersarii, argumentum, hoc est; *ut resurrectio Christi Deo, i. e. fini diuino digna foret, opus fuisse ut hostibus suis post resurrectionem adpareret seque rediuiuum ostenderet.* Argumentum ex parte profectum videtur ab homine gloriolae studio nimis et inepte dedito, qui, dum ipse nihil magis in votis habet quam ut inimicis suis, meliori fortuna usus, insultare queat, ad suarum minuciarum modulum diuinas res metiri satagit. Sed ponamus, aliam mentem fuisse iis, qui hoc argumentum proposuerunt. Credent itaque, si Christus hostibus suis post resurrectionem adparuisset, futurum fuisse ut illi omnes ad veram fidem conuerterentur, adeoque ad salutem reducerentur. Hoc ipsum vero dici nequit, nisi perhibere velis, hanc adparationem Christi rediuiui aut talem conuictionem in mente aduersariorum eius fuisse parituram, cui secundum ipsam humanae mentis naturam assensum suum

um denegare haut potuerint; aut Christum hac in re secundum omnipotentiam suam ita agere debuisse; ut hunc assensum mentibus ipsorum instar miraculi extorqueret. Vtrumque falso adferitur. Quoad primum, constat ex historia euangelica, hostes Christi principes, eos nimirum, qui inter Iudaeos vel potentia vel eruditione plurimum poterant, partim Phariseos fuisse, partim Sadducaeos. Pharisei iam antea non semel ea Christi miracula praesentes viderant, quibus fidem denegare non potuissent, nisi malitiosi eoque sine agentes fuissent homines, ut veritatem consulto impugnare eos voluissent dicendum sit. His nimirum defutura erat solita cauillatio, et hoc esse praestigium opeque mali Daemonis perpetratum? Sadducaeum ad Epicuri sententiam proxime accedens gens iam antea ad hoc vltimum prae fractae mentis hominum effugium deuenerant, ut potius irridere velent quam examinare Christi opera. Eadem ipsis parata erat responsio, qua et hodie superbiunt quidam propriae salutis osiores; imaginationis vi defasci- natos se fuisse dum, cum mortuum se vidisse re- diuuium crediderint. Idem dictum esto illis, qui Christum Pilato aut Herodi adparere debuissent autu- mant. Plebs demum semper sibi inconstans, semper alios coeca sequi parata annon iam saepe miracula Christi eo vsque fuerat demirata, ut auctorem eorum Deum esse fateretur? Verum et toties in pristinam incredulitatem reuoluta erat. An quid aliud hic sperare licebat? Sed regerent; fortasse nonnullos hoc vltimo diuinae clementiae opere exhibito ad fa-
nio-

niorem mentem fuisse deuenturos. Scimus et nos, bene multos ex iis, qui inimici Christi fuerant dum inter homines degeret, postea ad fidem veram descendisse. His vero singulis vt adpareret Christus, opus non erat. Omnibus reliqua diuinitatis eius argumenta suffecerunt, vnico Paulo excepto, cui et adparuit. Quoad reliquos, ita respondemus; nisi aliis argumentis euincant aduersarii Christum non fuisse redemptorem verumque Deum, licebit vtique ponere sententiam, quam tuentur Christiani. Hac igitur posita et hoc concedi debet, praesciuisse eum omnes reliquos Iudaeos caeterosque eius aduersarii fidem et huic adparitioni non fuisse habituros. Ergo et adparere iis non poterat, nisi quid citra utilitatem perpetrare vellet: talia vero facere ne sapientis quidem hominis est, multo igitur minus sapientissimi ipsiusque Dei. Neque vero vel id Deo conuenit hominibus peccati occasionem vltro praebere velle, quod vtique futurum erat, si rediuuium sese monstraret illis, quos fidem ipsi nihilominus denegaturos esse praesciret, cum praesertim reliquos alia ratio non deficeret ad veram fidem deueniendi. Alterum huius argumenti extremum ex eorum numero est, quorum facilitas iam ab omnibus nostris Philosophis est demonstrata. Qui enim volunt, Christum rediuuium aduersariis suis adparere debuisse eo consilio, vt per omnipotentiam auersionem eorum a fide plane tollerent, non animaduertunt, se nihil aliud agere quam vt, Deum hominibus libertatem eripere debuisse, perhibeant. Praeterea non animaduertunt, hoc ipso posito errore, nimirum Diuinae sapientiae

B

fuisse

fuisse vt homines libertate priuaret, potius consequi, Deum ab initio hominibus libertatem concedere non debuisse. Sed haec ab aliis refutata missa facere licebit.

Eiusdem farraginis tertium est argumentum, *resurrectionem tum demum Deo auctore dignam futuram, si post eam peractam Christus omnes gentes simul et in vniuersum ad fidem et salutem conuocauerit.* Nimirum per nouum miraculum, adparitionem coram vniuersis mortalibus exhibitam. Nam alia ratione, per praedicationem nempe Euangelii, omnes gentes ab Eo ad fidem conuocatas esse, ne aduersarii quidem negabunt. Sed in hoc ipso, quod nunc adgredimur, rationes aequae male subdixerunt, ac in superiori argumento. Haec enim vniuersalis, vt ita loquamur, adparitio quoad singulos homines non maioris esse poterat efficaciae, quam illa, quam priori argumento postulant. Ad illam vero tunc respondimus, eademque responsio etiam huic sufficiet argumento. Sed vrgebunt fortasse, maiorem fidem singulos huic adparitioni fuisse habituros, si testes eius omnes reliquos homines habuerint. Hoc ipso vero nihil agi agnoscent, qui nouerunt homines et circa alia negotia consensum reliquorum instar demonstrationis minime accipere. Supererit enim similis responsio illi, qua Sadducaeos vsuros fuisse credendum est.

Adiunctum hisce est quartum; *Christum plures testes resurrectionis, quam mortis habere debuisse, si ea Deo auctore digna dicenda foret.* Hac obiectione quid sibi velint aduersarii, vix illis ipsis consta-

constare poterit. Sed eo res redire videtur, ut perhibere voluerint, aut minoris momenti fuisse Christum mori quam mortuum resurgere, aut paucioribus testibus contentos futuros fuisse homines, dum de morte eius quaestio moueretur quam dum de resurrectione. Prius iam supra refutatum est. Humani generis maxime intererat, Christum a mortuis resurgere; sed aeque intererat, cum mortem obire. Satisfactio enim nisi morte eius absolui non poterat; sine satisfactioe nec resurrectio eius ad nostram salutem pertinebat. Altero sensu sumpta obiectio, quam futilis sit, facile est animaduersu. Credituri quippe erant homines, Christum a mortuis resurrexisse, nisi eum mortuum fuisse constaret? Mortem vero eius paucis nimirum testibus credituri erant? Imo, nisi mors eius adeo certa fuisset, nisi praesentibus, videntibus, manum operi admouentibus aduersariis peracta, numquam defuturum erat quod testibus resurrectionis regereretur. Obiecturi erant, quibus dubia mouere placuisset, talesque minime erant defuturi, nihil noui adferre huius causae patronos; sed eandem fabulam adornari, quam pridem inter Graecos Pythagoras interque Scythas Zamolxis egerant, qui aliquantisper a consortio hominum segregati post reditum iactauerant, mortuos se et apud inferos fuisse. Hoc igitur iam euiectum est, mortem Christi nisi quam plurimis testibus praesentibus transigi non debuisset. Cur vero praesente vniuerso populo Iudaico mori voluerit, et huius rationem reddere licet, quamuis non adeo opus sit. Cum Christus

vera victima expiatoria sit, decebat eum quam maxime eo ipso tempore mortem obire, quod victimae expiatoriae maectandae iam antea fuerat praescriptum cuiusque temporis solemnitati populus vniuersus ex praescripto Dei interesse debebat. Atque si huius praescripti ratio vltra quaeritur, neque illa nobis deerit. Quid enim conuenientius, quam satisfactio operi interesse eos, pro quibus ea fiebat? Cumque hi omnes, nisi nouo miraculo, quod tamen adeo necessarium dici nequit, edito praesentes esse non possent, quid demum melius, quam illum populum huic maximae solemnitati interesse, qui vniuersum genus humanum repraesentare poterat, is quippe populus, ex cuius medio salutem prodire Deo placuerat? Haec sufficere arbitramur ad quaestionem, cur Christus tot testes mortis suae voluerit. Secundae quaestioni, cur resurrectionis pauciores testes voluerit, supra iam satisfecimus.

Quinto contra veritatem resurrectionis proferrunt, *eam Deo minime dignam iudicari posse, cum et post eam homines a fide alieni remanserint.* Nempe infructuosam eam esse, rebus sic stantibus, autumant. Adparet iterum ignorantia hominum circa res, quarum nihilominus vel iudices esse posse sibi persuadent. Si dignitas resurrectionis Christi ex fine diuino diiudicanda est, vt omnino est, probare debuissent huius, quod modo recensuimus, argumenti auctores id Deo fuisse consilii vt peracto redemptionis opere et, quae id consequi debuit, resurrectione redemptoris omnes mortales necessario fidem reuelationi tribuerent. Id vero

vero aperte falsum est. Redemptorem hominem fieri, pro hominibus pati morique oportuit, quia alias saluis humani generis rebus satisfactio iustitiae debita exsolui nequibat, demum et resurgere eum oportuit, ut homines satisfactionem perfolutam et Deo acceptam esse scire possent. Hunc finem ipse Christus indicavit, adiecto homines fide opus habere si meriti sui vellent fieri participes. Quodsi igitur non omnes homines ad fidem se adplicant, num satisfactio et resurrectio Christi inutilis, num Deo auctore indigna diveda est? Imo utilissima, imo dignissima. Per eam enim effectum est, ut homines iterum ad veram felicitatem, ad aeternam salutem adspirare possent, qua certissime ipsis carendum erat si sibimetipsi fuissent relictii, quippe qui omnes peccatores simul aeternis poenis debebantur. Quodsi et hoc ultimo salutis remedio quidam uti recusant, non remedii praestantiam negare convenit, sed ipsorum arguere pertinaciam, quae sine miraculo immediate in mentem operante illis eximi nequit, tali vero miraculo eximi non debuit.

Haec sunt, quibus dignitatem resurrectionis Iesu Christi impugnare non erubuit temeritas hominum. Liceat singulas nostras responsiones in vnum paucis colligere. Digna Deo auctore est resurrectio Salvatoris, si eam fieri divinae sapientiae consentaneum fuit. Hoc vero ultimum solidissime probant, quae ipsa scriptura docet. Deus enim creaturas suas summa clementia fovens omnibus hominibus opem ferri eosque cognitione veritatis imbui desideravit. Primum per ipsos homines fieri nequibat. Humana

rum quippe genus omne peccatorum labe infectum sibi propriis viribus auxilium ferre non poterat, nisi diuinæ satisfaciendo iustitiæ. At hæc poenas infinitas pro peccatis exigit. Ergo homines, si ad ipsos satisfactionis opus rediret, poenæ infinitæ, cui ferendæ pares erant, ergo poenæ æternæ debebantur. Neque vero erat, quod aliarum creaturarum auxilia circumspicerent. Hæc enim si poenas peccatis proportionatas i. e. infinitas pro hominibus perferre vellent, et ipsæ æternis poenis se dicare necessum habuissent. Quæ cum ita sint, nihil plane erat, quod ab illis sperare liceret hominibus. Satisfacere enim pro alio rite nequit, nisi qui vult. Quænam vero creatura adeo semetipsam odisse credenda est, ut æternum infelix sciens, sponte pro aliis fieri velit? Porro ipsa diuina iustitiæ eiusmodi mediatorem, si vel maxime inuentus foret, recusare debuit. Neque enim æqui est iudicis, committere ut innocentes pro nocentibus adeo plectantur, ut in perpetuum infelices fiant. Ergo mediator non nisi ipse Deus esse potuit, et hæc sola fuit ratio, qua hominibus malorum suorum auctoribus subueniri poterat. Hac vero satisfactione rite peracta et consensu in eam hominum, ergo et vera in redemptorem fide opus est. Hunc vero consensum, hanc fidem homines, saltem longe plurimi procul dubio recusassent, nisi resurgens a mortuis redemptor hoc ultimo diuinitatis suæ testimonio verum se et diuinum redemptorem adeo valide comprobasset, ut fidem ei denegare nequeat nisi qui ratione sua abuti velit. Restat et aliud, non minoris momenti, argumentum. Dispiciamus

mus quam ob rem Christus mortuus sit. Mors naturalis prima peccatorum poena est constituta. Sed non peccavit Christus. Mors itaque et naturalis ad eum proprie non pertinebat. Obiit eam pro reliquis hominibus. Quando vero constat Christum diuinae iustitiae satisfecisse poena infinita sensus, duratione quidem mortis diuturna opus minime erat. Praestita et plane absoluta fuit satisfactio ipso illo momento, quo redemptor extremum vitae halitum emisit. Quod si itaque non resurrexisset, duratione mortis poenam indebitam persolueret, id quod a iustitia diuina alienissimum. Neque tamen est quod regerat quispiam, si duratio mortis Christi ad opus satisfactionis non pertineat, cur eum non statim resurrexisset? cur per trium dierum spatium inter mortuos restitisse? In promptu est responsio. Ad summam rem generis humani pertinebat, omnia dubia remota esse quae contra veritatem mortis Christi excitari poterant cum rationis specie. Huius autem veritatis certissima probatio in eo sita est, quod eum per aliquod temporis spatium mortuum esse praesentes omnes perspicere poterant. Cur vero ipsi trium dierum determinatum spatium placuerit, quaestio foret hominum inepte curiosorum quique sibi plane nolint satisfieri? Similis enim quaestio numquam defutura erat, si vel maxime aliud temporis spatium redemptor elegisset.

Supereest, ut rationes adducantur, quae testibus resurrectionis Christi fidem habendam esse probant. Duo sunt circa quae omnis de dignitate testimonii versatur disquisitio. Et veracem hominem et rerum cognitione sufficienter imbutum esse oportet testem; nosque

nosque, qui illius verbis fidem habere volumus, haec ita se habere scire debemus. Vtrumque requisitum testibus resurrectionis Christi adfertur et hic objectiones aduersariorum refutabimus.

Scientia facti testem destitutum fuisse colligere licet inde si rem, quam ille enarrat, fieri non potuisse argumentis euincitur. Vrgent hoc veteres Christiani nominis hostes, *resurrectionem Christi impossibilem fuisse* iactantes. Argumentum Celsi confuse aut ab illo ipso prolatum, aut ab Origene est recensitum. Duplex verborum sensus statui potest. Vter Celsi fuerit, nostra parum interest; sed vtrumque refellamus. Notum est, multis ethnicorum eam haesisse sententiam iuxta quam resurrectionem mortuorum negarent. Sed his ipsis vel immortalitas animae neganda venit, vel hoc adfirmandum est, fieri non posse vt anima semel a corpore seiuncta huic denuo coniungatur. De priore hic non agemus. Immortalitas animae veritas est, de cuius demonstratione desperantes veteres Philosophi tantum propriam in eruenda veritate negligentiam manifestam fecerunt; huic quippe demonstrationi rationis nostrae lumen abunde sufficit, cum facile sit animae simplicitatem animaduertere, hac vero animaduersa reliqua omnia satis in procliui sint. Alterum responsonem vix meretur. Concedimus restituendo animae et corporis consortio vires naturales minime sufficere, sed diuinam vim requiri. Hanc vero ad possibilia omnia se extendere nemo vquam Philosophus negare ausus est. Quid igitur prohibet, quominus ope eius fieri posse dicamus, vt anima et corpus post mortem iterum coniungantur? Profecto, qui

qui hoc pro impossibili habent, tam possibilem quam impossibilem misere ignari censendi sunt. Haec de primo sensu, quem Celsi verbis statuere licet. Alter ita se habet, vt, cum Christiani redemptorem propria vi a mortuis resurrexisse perhibeant, Celsus regeffisse videatur, id quidem fieri posse minime, vt, qui ne depellendae quidem morti idoneus fuerit, ab ea in vitam redeat. Futilitas argumenti patet. Si Christus mortem euitare voluisset nec potuisset, de potentia eius omnino foret dubitandum. Verum ipse abunde praedixerat, se mortem velle subire rationesque, cur hoc vellet, reddiderat suffecturas sane omnibus, quibus veritas cordi est. Imo, ne de potentia hac, quam Celsus in controuersiam vocat, dubium cum vlla rationis specie moueri posset, non semel mortem ab hostibus sibi intentatam Christus tali modo praecauerat, qui hominis diuina vi destituti vires omnino superat.

Neque dignitati testium pepercere Celsus eumque sequuti alii, qui, dum rem Christianam euerterent, nihil pensi habebant. Res, vt eam compendio absoluamus, eo redit, vt dicant, *facto historico relato a testibus, quorum alii nimis creduli et leues, alii studiose mendaces fuerint, fidem tribuendam non esse.* Vtramque obtreccationem examinemus. Quoad prius, saepe iactatum est a Christianae religionis inimicis, resurrectionem Christi fide minime dignam cense-ri posse, cum primi eius testes mulierculae, leue et imaginationis fucis nimium deditum genus, interque reliquos longe plurimi illiterati et plebei homines,

impil. 1

C

et

ipfi fraudibus patens genus, fuerint. Sed nihil eos agere, res ipsa comprobat. Constat ex historia euangelica, Christum plures quingentis resurrectionis suae testes habuisse, quibus non semel, sed saepius; modo his, modo illis, adparuit. Videamus primo an fraus fieri potuerit his omnibus. Primi testes fuerunt foeminae, tertio post mortem eius die ad sepulcrum venientes. Ergo iam praeparata esse debebat fraus. Sed quonam pacto? Lapis ingens, qui sepulcro admotus fuerat, remotus, ipsum sepulcrum inane et lintea tantum referuans, omnem fraudis suspicionem remouent. Dubium enim esse nequit, quin Iudaeorum principes, quorum, ne fraus nasceretur, maxime intererat, ipsum sepulcrum summa cura examinauerint, neque prius, vt corpus Christi ibi recondideretur, concesserint, nisi certi facti fraudem in eo nec praeparatam esse nec peragi posse. Et quis tandem praesentibus Romanis militibus talia vel ausus foret, vel exsequi potuisset? Namque vt circa alia superstitionibus deditos Romanos haut negauerimus, tamen in hoc negotio simili suspicioni locus non est, cum notum sit eos omnium orientalium gentium, imprimis Iudaeorum res derisui habere fuisse solitos. Tales vero homines, praesertim et summa potestate subnixos et propriae salutis studio ad summam cautionem obligatos, quippe qui ex militari disciplina suam rem agi scirent si in custodiendo mortuo indiligentes deprehenderentur, quo tandem pacto delusos fuisse vel fingere demum licet?

Reliqui

Reliqui testes resurrectionis Christi hinc illinc dispersi erant, praeterea tempus vniuersum, quo redemptor ipsis adparuit, tam arctis limitibus circumscriptum fuit, vt illis omnibus fraus fieri nequiret, nisi fraudis participes fuisse multos dicas. Sed de hoc paullo infra. Quis demum Paulo eiusque in itinere comitibus illudum dicat, viro et doctissimo et sagacissimo ab hominibus plebeiis et indoctis?

Ipsi Iudaei negare nequibant, corpus Christi tertio, postquam sepulcro conditum erat, die disparuisse. Dicent aduersarii, hoc factum esse vel insciis custodibus, vel consciis. Quodsi primum, aut praestigio quodam delusos fuisse oportet custodes, aut somno occupatos. Prius iam refutauimus. Alterum ipsi Pharisei perhibuerunt, Matth. XXVIII. 13. sed friuolam esse responsionem, nemo non videt. Romani scilicet milites, tanto disciplinae militaris rigore, poenam effugissent huiusmodi negligentiae rei? Cum praesertim Iudaeorum maximopere interesset hos homines publico supplicio adfici; vt populus rem omnem, quemadmodum se haberet, cognoscere posset. Quodsi vero consciis custodibus corpus Christi ablatum fuisse dicant aduersarii, iterum manifesto errori se implicant. Scilicet defuturi sibi adeo vsque erant principes Iudaeorum, vt rem ad praesidem Romanum non deferrent, aut huic defutura erat ratio qua criminis confessionem militibus extorqueret?

Sane hoc argumentum ingens est; *cum corpus Christi propria aduersariorum confessione disparuerit, nec ulla humana arte sepulcro eximi potuerit, diuina vi*

exentum est, i. e. ipse Christus a mortuis resurrexit.

Possent haec pro instituto nostro sufficere. Sed placet, ne quidquam intactum praemittamus, rem paulo amplius persequi. Ut, quantum in Epicuri Philosophia profecisset, omnibus testatum faceret Celsus et hoc addit, ipsos resurrectionis Christi primarios testes imaginationis ope haec sibi fingere potuisse. Ergo mulieres, quae hoc vnum mente voluebant ut corpus defuncti vltimis secundum Iudaeorum ritum honoribus adficerent, vnico temporis momento somniauerunt, se et ingentis molis lapidem a sepulcro remotum et ipsum sepulcrum inane vidisse? Ergo quingenti discipuli, 1 Cor. XV. 6. omnes simul somniauerunt vidisse se eum quem non viderant? Ergo Thomas, superstitionibus adeo non patens homo, ut potius oppositum errorem; nihil nisi quod sensibus percepisset credendi, sequeretur, somniauit colloqui se cum Christo et vulnerum patulis oris digitos se inferere? Talia somniare nequeunt nisi homines mente capti. Tales vero fuisse testes resurrectionis Christi, ne ipsi quidem aduersarii prae se tulerunt. Itaque et concedendum est talibus imaginationis praestigiis non fuisse illos delusos.

Restat, ut examinemus quo pacto fraudis insimulentur testes resurrectionis Christi. Notatum est a plurimis, talem suspicionem potissimum cadere in homines vel manifesto vel probabiliter saltim malo more viuentes. Apostolos reliquosque Christi discipulos, quotquot eorum resurrectionis testes fuerunt, ab hac suspitione ipsum hostium silentium liberat; eorum scili-

scilicet hostium, qui ipsorum vitae testes fuerunt. Nam quod Celsus et Iulianus prauos homines eos fuisse clamant, Paullum praesertim Iulianus, mouere nos non potest. Quis enim ferat maculam adspargentem post aliquot saeculorum interuallum famae hominum, quorum famae pepercerunt ii omnes qui vna vixerant quorumque summopere intererat horum hominum mores, si possent, suspectos reddere? Id igitur certissimis historicis veritatibus adnumerare licebit, testes resurrectionis Christi fuisse homines vitae inculpatae. Alterum, quod principii instar ponere oportet, hoc est, eos ipsos, qui testes resurrectionis Christi fraudis, cuiuscumque demum generis illa fuerit, insimulant, negare non posse plures fraudis participes esse debuisse. Hoc iam supra indicauimus. Fuerint ergo, oportet, nonnulli fraudis principes, alii, eorumque non exiguus numerus, ministri. De vtrisque sigillatim agamus.

Qui nouas res, praesertim circa religionem, fraudulenter moliuntur, omnes eo consilio agunt ut aut magnas diuitias aut magnam in vita dignationem nominisque existimationem adsequantur. Priori studio actum fuisse Manem, altero Mahomedem et alios multos, constat. Sed neutrum vel cum minima rationis specie sperare poterant, si fraudulenter egissent, Apostoli. Loco diuitiarum summam egestatem praetidebant. Circa dignitatem nihil erat quod sperarent, cum a popularibus statim ab initio tantis odiis exciperentur ut et patria excedere cogerentur; inter Graecos vero et Romanos, ad

quos se contulerunt, quique omnium asiaticarum gentium instituta despectui habebant, Iudeorum vero vel ipsum consortium abhorrebant, simile quid sperare velle, non callidi et fraudulentum, sed plane stolidi fuisset hominis. Qua igitur ratione fraudis insimulare licet Apostolos? aut unde tantam illis superfuisset pertinaciam credemus, ut, cum nihil aliud nisi summas miseras in vita experirentur, sociorum supplicia passim viderent sibi eadem instare sentirent, in fraude persistere vellent? Haec quippe omnia eiusmodi sunt, ut vel pertinacissimos, a prava sententia dimouere valeant. Nihil itaque superest, nisi ut Apostolos de veritate eorum, quorum testimonium ediderunt, idque ipsum tam vitae miseriis constantissime perlatis quam cruenta morte confirmauerunt, ipsos planissime conuictos fuisse concludamus.

Atque haec de ipsis Apostolis. Faciliori adhuc negotio idem de reliquis Christi discipulis demonstrari potest. His enim, si fraudis participes esse vellent, similes quidem miseriae propositae erant; sed similia praemia sperare non licebat, ut fraudis quam maxime successisset. Nempe ad principes totius negotii, Apostolos, praecipua praemia deuenire oportebat. In tanto igitur numero ne vnicum quidem fuisse credemus, qui fraudis indicium perageret, cum praesertim dubium nullum esse posset, quin summa praemia a Iudaeorum principibus, imo et postea a Romanis praefulibus sperare potuerit tantae rei index? Haec qui credere potest, omnino et historicae fidei et humanae naturae ignarus sit, oportet. Itaque et
 hos




hos resurrectionis Christi testes bona, immo optima, fide egisse iure concludimus.

Exposita sunt et refutata a nobis potissima, contra resurrectionem Christi a veteribus mota, dubia. Leuissimum superest, et hoc ipsum a Celso motum; nimirum aut *Christianos iis, quae inter Graecos de resurrectione Zamolxis, Pythagorae aliorumque negatorum ferebantur, fidem habere debere, unde dignitas miraculi omnino euilescat; aut his negatis et Christi resurrectionem esse negandam.* Vix crederet quispiam, serio sic ratiocinatum esse Celsum. Quis enim ille mos est rationes subducendi, ut aut omnibus, quae umquam homines retulerunt, fidem habendam esse, aut nihil omnino credendum esse, concludas? Locus foret huic argumento, si Christiani graecas illas fabulas negantes prae se tulissent mortuos omnino resuscitari non posse. Sed cum contrarium diserte loquatur, quam profitemur, doctrina, argumentum hoc ulteriori responsione plane indignum iudicamus.

Haec ea mente a nobis sunt proposita, Ciues carissimi, ut hoc ipso ecclesiae Christianae maxime solemnem tempore habeatis, quibus fidem Vestram corroborare possitis. Quanti momenti et ad singulorum et ad omnium hominum salutem sit veritas *Christum a mortuis resurrexisse*, intelligitis. Hoc igitur agite: tantam hanc veritatem mente tota concipite ad eiusque praescriptum vitae rationes subducite, certi diuinum auxilium praesto esse iis omnibus. qui

qui ex animo participes fieri volunt *victoriae, quam*
Deus nobis largitus est per Dominum nostrum
Iesum Christum. 1. Cor. XV. 57.



153883

X 2286633 ✓

ULB Halle
007 138 997

3



ND 18

R



30 30

PROGRAMMA

QVO

POTIORA DVBBIA
A VETERIBVS CHRISTIANI NOMINIS
HOSTIBVS CONTRA VERITATEM
RESVRRECTIONIS REDEMPTORIS MOTA
EXAMINANTVR ET
REFELLVNTVR
FESTO PASCHAE
A. R. S. MDCCLVIII
P. P.

HELMSTADII

LITTERIS VID. B. PAVL. DIETER. SCHNORR,
ACAD. TYPOGR.

